NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN
124113-B
ALT-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

125. C. 56.

IO. WILH. ENGELBRECHT
JC*ti*

COMMENTATIO

DE

JURE PEREGRINANTIUM.

EDITIO NOVISSIMA.

(4)

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
CIƆ IƆCC LI.

124113-B

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFAMEN
AD
SINCERUM LECTOREM.

O*peram hucusque bonis Artibus, elegantioribus Diſciplinis & ſalutaribus dedi Legibus non ſolum in Germania noſtra, ſed & in Belgio aliisque genio & ingenio incolarum præclaris oris; animus etiam nunc eſt, diu diutiusque magis flagrans, alios & quidem ſub calidiori climate ſudantes inviſere populos. Vale dixeram ideo Muſis Lugduno-Batavis Specimine ſpiſſo, quod* de Adminiculis Juris Publici Rom. Germanici *inſcriptum, omnemque dein moveram lapidem in eo, ut, quantocyus fieri poſſet, favente adhuc cœlo ad Iter præſtitutum accingerer. Ita illud ingreſſus fugitivum egi tanquam alio in loco cum Muſis meis in gratiam rediturus, ſed ecce! Patroni atque Parentes, quorum Placitis id temporis, quo abire ſtudueram, Specimine dicto facere ſatis putabam, torva tuebantur, qui altiora ſibi de Cliente & Prole ſua promiſerant. Paulo igi-*

Digitized by Google

tur poſt perlatum mihi nuncium hocce fluctuantibus me quaſi circum undis hic loci appulſus ſum; verum etiam appulſum moderna loci antiquæ non cedens Fama, juxta ſimul præclarorum Virorum Civiumque Academicorum humanitatem, in tantum ſublevavit ac reſtituit, ut crediderim ex Illuſtri hoc Athenæo & Patronos & Parentes & memetipſum rurſus adhuc erigendi copiam dari. Atque idcirco ego, Themidis quamvis tam ingenio quam ætate pullus, altiora meditatus ſum, nec audaci ſed pio auſu, tanquam mei arbitrii eſſe nolens, Lotum guſtando tentavi magis regoroſa ſubire Specimina eaque Inauguralia, ut conſtet quid humeri mei ultra ferre queant, quid ferre recuſent? Jam Tertium poſt duo ſuperata Examina reſtat, quod cana Antiquitas Germanorum morum, h. e. palam & publice fieri juſſit. Seliguntur hunc in finem variæ a variis materiæ, partim ut nova ſecum quaſi ex Africa adferre, partim ut antiqua augere aut temperare nimium quantum videantur; Enimvero placeat pro temporis anguſtia me incidiſſe in materiem de Jure Peregrinantium, *& ætati & Vitæ meæ in præſens generi aptam, ut hac una fidelia duos de albem parietes, atque ita Decreto Magnifici JCtorum Ordinis reſpondeam, meque ipſum quadantenus eo prudentiorem reddam in iis, quæ ad meum & ceterorum Viatorum commodum flectunt vel inde deflectunt. Tu ergo, Sincere Lector, Conatibus hiſce meis & peregrinantibus, inprimis Studiorum gratia voluntarium Exilium ſubeuntibus, ex animo, ſi volupe viſum, fave!*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM

TRACTAT PRÆLUDIA QUÆDAM DE PEREGRINATIONE.

§. I.

Adeo frequentes ab omni ævo Peregrinationes fuerunt, ut ferantur Mortales in hoc vitæ genere ſibi vehementer placere; maxime cum ea, quæ ad Vitæ commoditatem & Mentis alimenta reſpiciunt, non unus locus poſſideat, ſed Natura dotes ſuas inter nos minutis & exiguis particulis hinc inde diſperſerit, ad inſtar ignis illius, quem Prometheus furto abſtulerat non uni hominum conceſſum, verum per totum orbem terrarum diviſum; prout ele-

Digitized by Google

eleganter enunciat Polyhiſtor olim in hac Julia ſummus, omnique ævo commemorandus CONRING. *Theſ. II. Disquiſitionis de Prud. Peregrin.* Notæ quoque ſunt peregrinationes Veterum, quas Iſraelitæ, Græci, Romani, Germani aliique plures ſæpiſſime inſtituerunt, nec operæ pretium eſt filium hac in re texere, quæ ſcopi noſtri finem excedit & adhuc quotidianis hodienum juvatur teſtimoniis.

§. II.

Id præſtat dicere; Peregrinationes, ſi prudenter inſtituantur & cum grano ſalis, non minima, imo ingentia commoda inferre Rei & Publicæ & Privatæ Sunt enim hæ via panſa, qua ad vitæ beatitatem ac Sapientiam itur, quæ ſi non ſemper Peregrinatione acquiritur, ſed domi acquiſita jam eſt, minimum augetur, ſtabilitur fimiorque Experientia, vulgari rerum Magiſtra, redditur. Quin audax effatum haud eſt aſſerere, quod Religio ipſa, item Studia & bonæ Artes nec non Commercia, unica Reipl. Fulcra, plurimum peregrinationi debeant; veluti laxius *in Oratione mea pro Mercatura*, Ultrajecti cum viverem, deduxi. Atque hinc patet non leve eſſe hoc vitæ genus, & ſi in ullo alio, certe in eo Labyrinthum aperiri ſatis amplum, in quo filo Ariadnæo indigemus, quale vulgo Prudentia peregrinandi Eruditis audit.

§. III.

Nam ſicut *juxta* GROTIUM vel in Bello vel in Pace vivitur, ita non ſiniſtre dixeris, mortales aut

do-

Digitized by Google

domi aut foris hærere; Priori vivendi rationi varias præſcripſit omni tempore normas erudita antiquitas, quando Ethicam, Politicam & Oeconomicam ſub nomine Philoſophiæ Practicæ publici Juris fecit. De altero non minus neceſſario vivendi modo & Regulis æque Sapientiæ armando altum ubique fuit ſilentium, donec Moderni Trigæ illi Quartam ſuperaddiderint Diſciplinam, quam Apodemicam vocant ſeu Prudentiam peregrinandi. Profecto Peregrinantes variis Fortunæ ludibriis expoſiti ſunt & Natura ſagax varia media vel eorum commoda promovendi vel pericula imminentia evitandi deſiderat. Suppeditat hæc ſingula prædicta Ars ac abſolvitur 1. Præparatione ad Iter; 2. Itione ipſa; 3. Acceſſu ad Exteros; 4. Reditu ad ſuos; & digna eſt materia tam ſcitu quam tractu, ſed & eam noſtri laboris non cenſeo, inprimis cum ſcopus præfixus non ferat & laudatus CONRING. præ reliquis *in cit. Disquiſit.* materiam hanc ex aſſe & egregie, ut ſolet, proſecutus ſit, quemadmodum contra eandem confuſius tradidit FROELICH. *in Cynoſura Peregrinantium*, & multi alii.

§. IV.

Sumus eapropter ſolum, ni fallor, meliori ratione ſolliciti *de Peregrinantibus ipſis eorumque Jure*, quod, ut Scholæ loquuntur, active & paſſive habent; & ſic (atvero Laconica brevitate & Methodo arbitraria,) in ſeqq. agendum puto (1) de Perſonis Peregrinantium; (2) de Juribus eorum perſonis competentibus; (3) de Juribus favorabilibus eorum res ſpectantibus; annexis utro-

Digitized by Google

utrobique Actionibus, quibus ſe & res ſuas tueantur? (4) de Odioſis Juribus & Incommodis, quibus in ſe & rebus ſuis graventur; (5) de Specialibus nonnullis Caſibus ad materiæ Rhombum facere loco Corollariorum viſis; quibus tandem Epilogus Coronidem imponet.

CAPUT SECUNDUM

DE

PERSONIS PEREGRINANTIUM.

§. I.

Peregrinantes diverſis notantur nominibus; Præcipue CICERONI audiunt Peregrini ac Hoſpites; AVSONIO ET VLPIANO Peregres, aliis Forenſes & ſic porro; Suntque in genere ii, qui in Itinere conſtituti ſunt ſeu qui in peregrinis oris extra ſuam Provinciam ad tempus morantur, vel alienos agros permeant atque peragrant: Unde etiam nomen vulgare traxiſſe videntur, ceu egregius Literator VOSS. *in Etymolog. Ling. Lat.* demonſtrat.

§. II.

Multiplices autem ſunt peregrinantes, prout Sexus, Ætas, Neceſſitas aut Scopus peregrinandi eos ab invicem diſtinguit. Nam infinitæ ſunt hominum actiones ac negotia, ut ideo ſanctiſſimæ Legum Tabulæ quocunque tempore Juſtitiæ Sacerdotibus

Digitized by Google

tibus nimis anguſtæ viſæ fuerint. *l.* 10. *&* 12. *ff. de LL.* Et ſicut omnes hujusmodi actus ſibi quendam habent finem propoſitum, ad quem tendant, juxta doctrinam *Philoſophorum Principis Lib.* 1. *Ethicor. cap.* 1. ita a diverſo diverſorum ſcopo varii ſunt peregrinantes, quorum alii Mercaturæ gratia, ut pauperiem fugiant, terras & maria percurrunt; alios quæſtus bellicus huc illuc per Orbis pellit angulos; alii voluptate trahuntur; alii Legationis vinculo foras eſſe tenentur; alii Studiorum cauſa peregrinantur; alii Exilii pœnam apud Exteros luunt; alii denique per contumaciam peregre abſunt, ut loquitur *l.* 7. *§.* 8. *ff. Siquis caut. in Jud.*

§. III.

Sunt igitur Peregrinantes 1. vel Maſculi, vel Feminæ; 2. Sui vel alieni Juris; 3. Mercatores vel Milites, Legati, Studioſi, Exules, Vagabundi &c. cumque ſinguli fruantur ſuis Juribus tam domi quam foras citra reſpectum ad peregrinationem, ratio propoſiti etiam non patitur de Privilegiis Sexus, Ætatis, Militiæ, Legationis, Studiorum, Mercaturæ & deinceps agere; ſed animus ſolummodo eſt, ut Jura percurramus, quæ ut Peregrinantes κατ' ἐξοχὴν ac in Itinere ſuo habere, vel quibus paſſim teneri ſolent.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM

DE

JURIBUS PEREGRINANTIUM PERSONIS COMPETENTIBUS.

§. I.

Quid Juris vocabulum denotet, ſatis utique exploſum eſt ad *l.* 1. *& pen. ff. de J. & J.* ubi Homonymiam & Synonymiam ejus apud DD. tritam reperire licet; cui rei nos h. l. ſuperſedemus. Inter Jura vero, quæ Peregrinantium perſonis competunt, merito refertur 1) quod quando quis Sponſalia iniverit, inque iis certum tempus, quo Nuptiæ celebrari deberent, haud expreſſerit, Sponſa teneatur ſeſe ſpe reditus ſui Sponſi lactate; puta cum hic juſtam procraſtinationis cauſam præ ſe habeat; & hoc expectandi tempus Jura ad quadriennium ac ulterius extenderunt *in l. pen. ff. de Sponſal.* ceu quoque communiter ſentiunt MENOCH. *Lib.* 2. *caſ.* 255. *&* FINCKELTH. *obſ.* III. *n.* 5. *ſeq.* imo ſi militiam attendere velimus, ſponſæ per decennium expectandum eſt. *Nov.* 22. *c.* 14. Si vero tempus illud non fuerit a Sponſo determinatum, regulariter triennium Sponſæ præſcriptum legimus in *l.* 2. *C. de Repud.* quamvis brevius etiam tempus obtineat, ſi quis malitioſe abſit. *c.* 5. *X. de Sponſal. ibique in fin. Panormitan.* quod

ſicut

Digitized by Google

ſicut ex diverſitate circumſtantiarum colligi debet, ita potisſimum hac in re prudentis Judicis arbitrio locus eſt. MEV. *p.* 4. *deciſ.* 7. & BEUST. *de Sponſal. p.* 1. *n.* 60. quod autem Juris viget ratione dictæ expectationis in Sponſo, ſine dubio quoque obtinet viciſſim in Sponſa, ut ille expectare teneatur, donec hæc honeſte peregrinans reditura ſit; idque ob paritatem rationis. *Vid. l.* 5. *ff. de R. N.*

§. II.

2) Ad Jura peregrinantium perſonis competentia ſpectat, quod mulier marito ex juſta cauſa peregrinante debeat 1. vel expectare reditum aut mortem ejus. *Nov.* 117. *c.* 10. *ſeq. c.* 19. *X. de Sponſal.* 2. vel ſequi maritum in Itinere vel ipſa Relegatione. RICHT. *p.* 1. *dec.* 9. *n.* 5. HARTM. PISTOR. *obſ.* 148. HEIG. *p.* 2. *qu.* 14. quia uxor invito eo non poteſt ſeparatim habitare, ſed perpetuo mariti conſortio addicta obſequioſe eum ſequi debet. STRUV. *Exexc. ad ff. IX. Th.* 28. alias ſi quis eam detineat invitam maritus Utili Interdicto de Liberis exhib. ad uxorem recipiendam aget; ſi conſentientem, protinus Judicem implorabit. PEREZ. *Tit. ff. de Lib. Exh. num.* 7. Quæritur hac occaſione, an Uxor maritum ex cauſa longius peregrinantem Deſertionis accuſare queat? R. Neg. arg. dictorum; *jung.* MEV. *d. l.* & FINCKELTH. *d. l. n.* 14. *ſeq.* 3) Inſigne non minus Jus eſt, quando Vir abſens uxorem ducere valet, cum e contrario femina abſens nubere nequeat. *d. l.* 5. *ff. de R. N.* ubi ratio exhibetur, quam ulterius

 pro-

proſequitur GOTHOFR. *in not. ad l. 15. ff. de Cond. & Demonſtr. lit. D. add.* PAUL. *II. Sent.* 19. §. 5.

§. III.

(4) Qui Reipubl. cauſa abſunt fruuntur hoc Jure, ut domi a Tutela vel Cura ſuſcipienda excuſentur. §. 2. *Inſt. de Excuſ. Tut.* & eodem modo comites eorum idem Juris habent, ſi nempe intra numerum ſint. *l.* 41. §. 2. *ff. eod. tit. l.* 32. *ff. Ex quib. cauſ. maj.* quamvis e converſo ii, qui ideo ſaltem comitantur abſentes Reipubl. cauſa, ut eorum protectione gaudeant, non poſſint dici Reipubl. gratia abeſſe, nec conſequenter Excuſationem mereri. *l.* 36. *ff. d. tit. & d. l.* 41. (5) Si peregrinantes durante abſentia ſua læſi fuerint, in integrum reſtituuntur, & quidem cum laudabilis & neceſſaria eſt abſentia, indiſtincte eis ſuccurritur, etiamſi Procuratorem domi reliquerint. *l.* 15. *pr. & l.* 26. *ff. ex quib. cauſ. maj.* Si vero ex vituperabili neceſſitate vel ſponte ſua indifferenti peregres fuerint, non datur illud auxilium, niſi Procuratorem non potuerint relinquere, vel a dato non defenſi vel haud ſecuri ſint. *d. l.* 26. §. 1. *junct. l.* 2. §. 8. *ff. ſi quis caut. in Jud.*

§. IV.

(6) Qui Reipubl. cauſa abſunt non ponſſunt rite puniri, multo minus criminaliter accuſari. *l.* 12. *ff. de accuſ.* Idem obtinet in iis, qui ſimpliciter peregre vivunt. *l.* 6. *C. eod. l.* 5. *pr. ff. de pæn.* remiſſiones enim

Digitized by Google

enim delinquentium non amplius ſunt neceſſitatis, ſed meræ voluntatis & amicitiæ, CARPZ. *Pr. Crim. q.* 110. *n.* 54. MODEST. PISTOR. *vol.* 1. *conſil.* 29. *num.* 6. *ſeq.* quamvis dentur caſus excepti, ubi adhuc hodie remiſſiones ſunt neceſſitatis; quorſum (1) referunt, ſi judices ſint ſub eodem Principe, quo caſu auctoritate ſuperioris remiſſio injungi poteſt, *Farinac. q.* 7. *num.* 29. Verum & hic gravis ſubeſſe debet cauſa, remiſſionem urgens; (2) Remiſſionem hodie neceſſariam putant, ſi fiat ad confrontationem, præſtita cautione de libero reditu, TABOR. *de Confrontat. p.* 1. *num.* 38. BRUNNEM. *de Proceſſ. Inquiſit. c.* 3. *n.* 7. (3) Remiſſio neceſſaria etiam eſt hodie, ſi quis non ſaltem alicubi deliquerit, ſed in loco delicti deprehenſus, carceri mancipatus, & inquiſitioni ſubjectus fuerit; ſic enim judex loci delicti manifeſta præventione gaudet, ut inde ubi proceſſus cœptus merito ſit continuandus, vid. B. Dn. STRYK. *in Uſ. Mod. Pand. Tit. de Jurisdict.* §. 27. *jung.* STRUV. *in Syntagmat. Jur. Civ. Exerc. IX.* §. 45. *ſub fin.* Interim tamen horum nomina domi in Acta referuntur publica & annotatis bonis nihil inde conceditur abſentibus, *d. l.* 6. Præterea edicto domum vocantur & ſi non compareant, prædicta bona Fiſco irrevocabiliter acquiruntur. *l. fin. pr. ff. de Requiſit. reor.* attamen poſſunt per Procuratorem comparere, ſi 1. vel lis conteſtata ſit. *l.* 13. *C. de accuſ. l.* 33. §. 1. *ff. de Procurat.* 2. vel alius tantum abſentiæ cauſas urgere velit. *l. pen.* §. 1. *ff. de Public. Jud.* Quo caſu allegationes fieri queunt ſine ullo mandato & fidejuſſione de judicato ſolvendo, & ſen-

 tentia

tentia differtur. *Clar. ex communi opinione 5. ſent. §. ult. qu.* 33. *&* GOTHOFR. *ad d. l. pen.*

§. V.

(7) Hoſpitia Peregrinantibus eo magis debentur, quo minus illis carere aut commode vivere poſſunt; præterquam enim quod officium humanitatis hoc fieri ſuadeat, ipſius Reipubl. intereſt fovere receptacula & hoſpitia publica, in quibus peregrinantes una cum rebus ſuis noctu interdiuque commorari & ſecure divertere valeant. *l.* 5. *ff. Naut. Caup. Stab.* Barbarorum enim eſt expellere Hoſpites, ut notanter ait GROT. *de I. B. & P. L.* 2. *c.* 2. §. 16. (8) Innoxius porro peregrinis tranſitus non poteſt denegari & quando læſi fuerint aut injuria affecti, variis obligantur violatores actionibus pro diverſitate criminum & læſionis inſtituendis. Sic locum inveniunt actio injuriarum, accuſatio de fracta pace publica & plures aliæ.

§. VI.

(9) Filius tandem ſumtus in peregrinationem utiliter impenſos conferre non opus habet; *laudatus* CARPZ. *p.* 3. *conſt.* 11. *d.* 18. ubi præjudicium huc faciens exhibet. Quemadmodum enim ſumtus in ſtudia diſcendasque artes non conferuntur, *l.* 50. *ff. fam. berciſc.* ſive a patre ſive a matre erogati, *arg. l.* 11. *C. Neg. geſt.* nec ea, quæ ad dignitates obtinendas impenduntur, collationi ſubjacent, *l.* 1. §. 16. *ff. de Collat.* Cur nummi peregrinatione rite conſumti conferantur? vide BRVNNEM. *ad d. l.* 1. *num.* 26. Nam bonam partem

partem peregrinatione mores ornantur, ſtudia excoluntur, humanitas augetur & ut breviter exprimam, eundem merentur favorem ac ſtudia, quæ ne quidem ipſa ſine loci patrii mutatione ſæpe tractari queunt. Deinde Peregrinatio, veluti alter prudentiæ oculis, dignitati filiali & familiæ cuicunque majorem excitat ſplendorem & expectationem in Republ. ut igitur vix ſit cogitandum, ea conferri, quæ fiunt utiliter propter ea, quæ regulariter non conferuntur. JUNGE hac de re Dn. PRÆSIDIS *Diſſert. de Legitima per quam ſeparantur liberi; vulgo* von Ablage der Kinder/ *Theſ. XIX.* ubi plenius hoc argumentum de ſumtibus in ſtudia factis excutitur. Deberent adverſarii prius legum ſubvertere ratiocinia & Philoſophorum illud πολυθρύλλητον, quod ita habet: Unumquodque propter quod quid tale eſt, illud multo magis tale eſt. Plura jam forte peregrinantium perſonis competentia jura tangi poſſent, ſed tempus non patitur; quapropter ultra pedem promovemus & ad reliqua progredimur.

CAPUT QUARTUM

DE

JURIBUS FAVORABILIBUS PEREGRINANTIUM RES SPECTANTIBUS.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Nullum eſt dubium, quin Peregrinantes quantum ad res ſuas, quas ſecum fuerunt, Jure Communi fruantur; ſive de Jure in Re, ſive de Jure ad Rem hoc intellectum velis; atque ideo tractationem ejusmodi ſicco pede prætereuntes ea tantum Jura ſub examen vocabimus, quibus intuitu peregrinationis in rebus ſuis frui & pondus præ ſe ferre creduntur.

§. II.

Tale Jus eſt; (1) ſi Peregrinantium res corruptæ ſeu furto in Hoſpitiis &c. ſubductæ fuerint, ubi prætor ſingulari Edicto iis in tantum ſuccurrit, ut contra Nautas, Caupones, Stabularios aliosque res ſuas ſartas tectas habeant, ſeu ut illi illata a Viatoribus fideliter cuſtodiant & recepta reſtituant, *l. 1. pr. & §. 1. ff. Naut. Caup.* Sin ſecus faciunt, duplici in ſpecie Actione tenentur; una de Receptis, altera Actione in Factum; & hac ope Vectores & Hoſpites a memorata hominum turba vel ipſis Exercitoribus &c. aut res receptas aut duplum pro damno dato exigunt. *Vid. DD. ad d. Tit. ff. Naut. Caup. Stab.* ubi de affinibus Actionibus hic concurrentibus quoque tractant. Unde & Edictum hoc Prætoris ad ipſos quoque viatores Judæos pertinere cenſemus, ſicuti in ſimili caſu a judicio Ampliſſimo provinciali Jewerenſi Anno 1710. Menſ. Novembri Magnifico Jureconſultorum in hac alma Academia Ordini oblato, a dicta Facultate talem Sententiam conceptam cognovimus: wir=

de

de Kläger/ Product, und Reproducent David M. vermittelſt eines cörperlichen Juden-Eydes ſeine num. Act. 20. ſub Beylage num. 4. angegebene Specification der in ſeinen Kuffer vorhanden geweſenen Sachen und deren Wehrt erhärten/ wie denn derſelbe hiemit dazu condemniret wird/ daß alsdann Beklagt-Producent, auch Reproductinne C. G. Wittwe alles Einwendens ohnerachtet/ den Wehrt derer dem klagenden Juden annoch fehlenden Sachen zu erſtatten ſchuldig/ und dazu zu condemniren und zu vertheilen ſey ꝛc.

§. III.

(2) Si in via damnum rebus peregrinantium illatum, vel furtum, rapina & hujuſcemodi quid circa eas admiſſum, ordinariæ quidem actiones, v. g. Furti, Vi bon. raptor. Rei Vindicatio &c. ſibi locum vindicant; at vero id peculiare eſt, quod ipſe Princeps Condictione ex lege peregrinantibus ad damni reſtitutionem teneatur, ſi hi eidem ſecuritatis ergo, poſtea fruſtra vel non bene præſtiræ, quicquam exſolverint; *juxta R. I. de A. 1559. §.* damit dann. STEPH. *de Jurisdict. L. 2. p. 1. c. 7. n.* 397. ſive expreſſum impetraverint ſalvum conductum, ſive non impetraverint. *arg. l. 3. & 13. ff. de off. præſ. l. 44. ff. mandat. l. 9. ff. de præf. prætor. Afr. l. 1. §. 12. ff. de off. præf. urb.* adde GAIL. 2. *Obſerv. 64. n. 6.*

§. IV.

(3) Diſponunt & teſtantur peregrinantes de rebus ſuis libere nec minus poſſunt habere heredem ab

inteſtato. Olim quidem inveterata obtinuit conſuetudo, quam corruptelam potius nominare fas eſt, vi cujus caupones atque hoſpites bona peregrinorum in hoſpitiis denatorum ſibi arrogabant; ſed barbarum hunc morem abrogatum novimus *in auth. omnes peregrini. C. Comm. de Succeſſ. quæ ex Conſtit. Imp. Frid. II. de ſtatut. & conſuet. depromta eſt.* Ut igitur peregrini alicubi decedentes relinquere poſſint hereditatem, cui velint ac ſi inteſtati moriantur, hoſpites, qui eos recerunt, ſub pœna Tripli bona peregrinorum tradere debeant Epiſcopo loci, qui ea proximis heredibus diſtribuet vel in pias cauſas erogabit. *d.auth.* quia jam lex humana potuit circa id genus bona morientium diſponere & conſequenter pauperibus aſſignare. BRUNNEM. *ex Covarruv. ad d. auth.* In Gallia tamen Jure Albinagii bona peregrinantium demortuorum indiſtincte Fiſco Regio cedunt, niſi peculiari privilegio eorum domini muniti fuerint; quales dicuntur eſſe Helvetii, Noribergenſes & id genus alii, qui Matriculæ Aurelianenſi illati Jus Indigenatus acquiſiverunt; quorſum etiam referunt Legatos, Mercatores, item Studioſos, *teſte de hiſce* BODINO, quibus Anno 1653. & Anglorum Natio adjecta eſt vi Tractatus Pacis Anglo-Gallicæ de dicto Anno; quemadmodum obſervavit B. Dn. Conſiliar. ENGELBRECHT, *Anteceſſor quondam ac Senior hujus Academiæ meritiſſimus, Exercit. 6. ad Inſtit.* §. 12. JUNGE *JCti in eadem Julia Celeberrimi*, Dn. D. HOMBORGII *Prælect. Acad. ad Inſt. Tit. quib. non eſt permiſſ. fac. Teſt.* §. 3. *n.* 4. Interim de hoc Jure Albinagii latius egit PAQUETIUS *in tr. du Droit d' Aubaine ſeu de Jure Peregrinitatis.*

§. V.

§. V.

(4) Quando peregrinantes moribundi ſunt & teſtari volunt, nec plurium teſtium aptam habere copiam queunt, uti plerumque accidit in via vel navi, communis Doctorum ſententia eo collimat, ejusmodi Teſtamentum coram duobus teſtibus conditum omnino valere; & hac ratione idem inter teſtamentorum privilegiatorum ſpecies ponunt. *Vide* STRUV. *Exerc. ad ff. XXXII. th.* 22. *ibique cit. Autores.*

CAPUT QUINTUM

DE

ODIOSIS IURIBUS ET INCOMMODIS, QUIBUS PEREGRINANTES IN SE ET REBUS SUIS GRAVANTUR.

§. I.

Non eadem eſt gentium opinio circa receptionem peregrinorum & hoſpitum. Nonnullæ benigne eos & clementer reſpiciebant, veluti Athenienſes *apud* SOPHOCLEM 1. *Colon. verſ.* 267. Lucani *apud* ÆLIAN. 4. *var.* 1. Indi *apud* DIODOR. SICULUM 2. 42. Nonnullæ contra eos plane rejiciebant; ſicut hac in parte Spartani male admodum plerisque ſcriptoribus

audiunt, *teſte* CRAGIO *de Republ. Laced.* Nonnullæ vero eos quidem admittebant, ſed admiſſos crudeliter aut durius habebant; prout hoc prolixe deducunt ALEXAND. ab ALEX. *Geneal.* 4. 10. *&* LACTANT. I. *c.* 21. Hodie pari modo alicubi benignius, alicubi autem paulo durius tractari peregrinos Experientia docet; quamvis pulſa Seculorum barbarie nemo eos tam crudeliter ac olim amplius excipere credatur. Leviora enim pleraque ſunt, quibus hodienum ſubjiciuntur, nec deficit ſemper juſta ratio, cur talia ſubire cogantur? De his jam diſpiciemus!

§. II.

In multis bene locis receptum eſt, ut Peregrinantes, licet fide & aptitudine rerum gerendarum probati ſint, ad Dignitates, Officia & Munera Reipl. aſpirare prohibeantur. Sic hoc Juris obtinet in Anglia, Italia & præclaris quibusdam Germaniæ liberis urbibus aliisque, de quibus teſtatur ANTIMACH. I. *Theoret.* 3. *p.* 257. *ſeq.* Idem de Helvetia aſſerit ARUMÆUS *ad A. B. Tit.* 2. *diſcurſ.* 2. Belgæ ſimiliter Peregrinos excludunt, & Poloni quaſi pro aris & focis pugnant, ne Exteri ad ſcrinia Reipubl. ſuæ admittantur. *De his* vide BODIN. *Lib.* 6. *de Rep. cap.* 5. *de illis* METTERAN. *in Hiſtor. Belg. L.* 14. *p.* 713. *&c.* Potiſſima omnium inter complures ratio eſſe dicitur, quod ſcilicet Exteri & animam & amorem Patriæ conſecratum plerumque domi relinquant; at nobis potius hæc arridet, quod eorum excluſione ſimultates & innumera indigenarum odia hoc modo feliciter in Republ.

Digitized by Google

publ. evitentur, cujus quippe primaria ſalus in ſola Tranquillitate Civium quieſcit.

§. III.

Peregrinantes præcipue duplex in Itinere ſortiuntur Forum, coram quo conveniri poſſunt; ſcil. 1) in loco Contractus, *c. fin. X. de For. comp.* ubi reus ex conventione vel quaſi aliquid præſtare tenetur. *l.* 19. §. 1. *ſeq. & l.* 20. *ff. de Judic. junct. l.* 21. *ff. de O. & A.* 2) in loco Delicti ſive publici, ſive privati. *l. fin. ff. de Accuſat. l.* 3. *ff. de Off.* PRÆS. *d. cap. fin.* locus vero Delicti eſt, quantum ad perſecutionem Criminalem, tam ubi delictum inchoatum, quam ubi conſummatum eſt. *l.* 1. *q. Ubi de Crim.* Sunt enim peregrinantes apud nos Subditi Temporarii & ea via ſubjecti Legibus loci, in quo commorantur. GROT. *L.* 2. *c.* 11. §. 5. ſiquidem pergentes ad aliquem locum tacite paciſcuntur, quod velint Legibus vivere illius loci, cujus vino, cibo, aëre, ſecuritate & ſimilibus quibusve commoditatibus fruuntur. PUFENDORF. *L.* 3. *c.* 6. §. 6.

§. IV.

Peregrinantes, inprimis ſi magno Comitatu incedant, Tranſitum quandoque petere debent, ni malint a limitibus noſtris arceri. Nam etſi Lege Naturali per maria æque ac terras liber pateat Tranſitus, nec Libertas illa adeo facile offendi queat, Lege tamen Civili reſtringi poteſt, ad avertenda mala & abuſus in Repl. bene conſtituta declinandos. Hinc antiquiſſimi Juris eſt, ut magnates peregrinaturi

non ſolum a Dominis Territoriorum &c. quæ permeare geſtiunt, Tranſitum ſollicitare, ſed & cavere teneantur, innoxium eum futurum. Ait quidem GROT. *d. L.* 2. *c.* 2. §. 13. quod Jus tranſire volentium metu tuo haud tollatur, ſed nec Jure petendi, quod alter habet, Jus prohibendi aufertur ei, qui prohibere poteſt. Et ſic, cum Dominum intra Regnum ſeu provincias nemo invitus admittere cogatur, Philippo jure negavit Ateas *apud* JUSTIN. 9. 2. uti Cæſar repulſam dedit Helvetiis. 1. *Gall.* 8.

§. V.

Adſtringuntur porro Peregrinantes ingenue quas ſecum habent, indicare merces, partim ut conſtet, an oneri earum ferendo equi publici &, ut vocant, Poſtæ ſufficiant nec ne; *Vid.* BRUNNEM. *alioſque ad l.* 12. *C. de Curſ. Publ.* partim ut Vectigal earum nomine pendant; alias res non profeſſæ regulariter in commiſſum cadunt ſeu Fiſco cedunt. *arg. l.* 16. §. 3. *ff. de Public. & Vectig.* cui adverſus defraudatorem & quemvis poſſeſſorem rei commiſſæ Rei Vindicatio datur. *l.* 23 *ff. de R. V. junct. l.* 41. *ff. de publ. & vectig.* Nec injuſta eſt modica exactio Vectigalis aut Pedagii, quod pro tranſitu in via vel ponte ſolvitur. Nam uti Princeps magnos ſumtus ſuppeditat ac impendit in reparationem viarum, pontium, & in genere, ut ſecuritati tranſeuntium proſpiciat, ita fas eſt pro compenſandis oneribus debitum eidem pendere canonem, juxta æquiſſimum Juris noſtri effatum, quod nemini officium ſuum

debeat eſſe damnoſum. *l.* 3. §. 9. *ff. de Negot. Geſt. l.* 37. *ſeq. ff. de Hered. Petit. Jung. omnino* GROT. *d. l.* 2. *c.* 2. §. 14. *ubi æquitatem hujus rei accuratius trutinat.*

§. VI.

Accidit etiam Jure Repreſſaliarum, ut Peregrinantes pro Concivibus ſuis apud Exteros ſæpiſſime plectantur, & quidem hoc modo, ut mox perſona, mox res pro re detineatur, aut ſimul & rerum & perſonarum fiat apprehenſio. *Conf.* a LANDSBERG. *Diſſert. de Repreſſal.* Injuſtum primo obtutu videtur, alium pro alio retineri, innocentem pro nocente puniri; imo Juri Naturæ contrarium putatur, ut quis alieni delicti vel debiti ſit ſuccedaneus, *l. un. c. ut null. ex vican. t. t. C. Ne Ux. pro mar. it. ne fil. pro patr.* quando tamen paululum altius hæc res repetitur, non video, quid dictitet, quod a Repreſſaliis erga peregrinantes abſtinendum ſit? Nam 1.) eo ipſo, quo quis in Societatem Civilem intrat, ſeſe tacite & bonorum & corporis reſpectu, tanquam utiliter futurum membrum, pro factis iſtius Societatis, quam iniit, obligat; 2.) quotidianum eſt, nos, exemplo fidejuſſorum, ex alieno facto obligari poſſe; 3.) Mutua ac in evitabilis neceſſitas inter Gentes id Juris obtinere ſuaſit; ne alias injuriis impune faciendis vel deſtruendis impediendisque Commerciis concederetur licentia; & præcipuum eſt 4.) quod peregrinantes haud difficulter domi a Magiſtratu aut Principe ſuo damnum foris pro aliis perpeſſum conſequi rurſus valeant; major enim ſemper habetur Civium ratio,

Digitized by Google

ratio, quam exterorum, quippe qui rudius duriuſque nonnunquam excipiuntur. GROT. *L.* 3. *c.* 2. §. 2. *ſeq.* quocirca e.g. Status Imperii, quamdiu Ordinarium ſupereſt Remedium, vel Juſtitia non denegatur nec malitioſe protrahitur, in nullum quidem Imperii Civem Repreſſalias exercere valent, Vide AUT. der Grund-Veſt. *p.* 5. *c.* 3. *p.* 219. in Exteros tamen & peregrinantes hoc Jure frui, & Subditis ſuis concedere, absque ullo conſenſu Imperatoris, poſſe tradit *laud.* *a* LANDSBERG. *d. Diſſ.*

§. VII.

Inter cetera tandem Peregrinantium Incommoda non minus referendum eſſe reor, quod ii e quibusdam locis, quando forte res majoris momenti peraguntur, emigrare jubeantur, vel ſi nolint prorſus expellantur. Sic tempore Electionis Imperatoriæ in Germania noſtra nemo Peregrinorum aut eorum, qui ad Electionem non pertinent, ibi toleratur, ubi fieri illa vulgo contingit; Francofurtenſes enim, penes quos actus Electionis utplurimum inſtituitur, nullum Extraneum, qui nec Civis Francofurtenſis eſt, nec ad miniſtros atque ſatellites Electorum ſpectat, in urbem ſuam intromittere, intromiſſum vero rurſus expellere tenentur vi *A. B. c.* 1. §. 22. cujuscunque etiam Extraneus ſit Dignitatis, Conditionis vel Status *d. l.* Unde cum tempore Electionis Caroli V. Anno 1519. Franciſcus I. Rex Galliarum a Senatu Francofurtano ſingularibus Literis petiiſſet, ut Legatos ſuos & eorum Comitatum urbe exciperent, ille contra Lege publica ſeſe excuſavit, ideoque Regiis deſideriis neutiquam deferri

poſſe

poſſe ſignificavit; & cum poſtea Franciſci Legati hujus rei nomine de Senatu memorato apud Electores quererentur, prout querelam illam exhibet GOLDAST. in Politiſchen Reichs-Händeln *P.* 1. *T.* 20. Electores regeſſerunt, nihil actum eſſe aliud, quam quod Majorum ſuorum Inſtituto conforme fuiſſet, ipſique ſervare Juramento promiſiſſent. Tempore quoque Ferdinandi IV. A. 1653. d. 30. Maji in Regem Rom. Auguſtæ Vindel. eligendi Legati Polonici ut & Hiſpanici ſimiliter urbe excedere obligabantur, clavesque poſtmodum Mareſchallo Imperii in Conclavi Octovirali cuſtodiendæ tradebantur. In Electione e contra Leopoldi Imp. A. 1658. Moguntinus ex ſiniſtra A. B. interpretatione peregrinis licentiam in urbe commorandi dedit, ſed & reliqui Electores ineffabilem inde movebant querelam, quam vide *in Teatr. Europ. T.* 8. *& ap.* LIMN. *ad A. B. dict. c.* 1. §. 22. & tandem in factum haud conſenſerunt, niſi datis, ut vocant, Literis Reverſalibus, quæ tunc temporis d. 27. Jnnii deſuper exarabantur. Decretum quidem hoc Electorale loquitur tantum de perſonis publicis non tolerandis, quippe circa quas lis ſolummodo componenda erat; verum hoc non infringit A. B. diſpoſitionem, quæ generalis loquitur & omnes cujuscunque Status & Conditionis ſint, e Civitate Electiva exire dictitat. LIMN. *ad d. l. A. B. obſ.* 13. verba Caroli IV. tam ſtricte interpretatur, ut ſub exire debentibus ruſticos quoque peregrinos, famulos, ancillas &c. comprehendat, ne ulla ex parte motus aliquis ab exteris in civitate electiva aut ſeditio concitetur. Quapropter in

D Ele-

Electione Joſephina, quæ contigit Auguſtæ Vindel. 1690. d. 22. Jan. non modo Perſonæ publicæ, duabus ſolum exceptis, ſed & privatæ, quæ Comitatui Electorali non erant adſcriptæ, egredi jubebantur. Quid jam Francofurti in Electione inſtanti (quam ut Rex Regum & Dominus Dominantium ad univerſi orbis terrarum, inprimis S. R. Imperii patriæque noſtræ emolumentum Votorum felicitate ex alto coronet, pie ac decenter voveo!) futurum ſit, dies propediem docebit; interim vel hoc a Viris fide dignis cognitum habetur, primo quoque tempore Decretum Electorale ibidem publicatum iri, vigore cujus Summi noſtri Proceres curabunt, ut antiquæ Legi ac Conſuetudini porro ſtet ſua integritas atque robur. Nititur illa hac genuina nec injuſta ratione, ne ſcilicet confluxu exterorum, quorum in ejusmodi Electione nullum eſt negotium, turbetur votorum libertas, aut electio, *Vide A. B. d. cap.* 1. §. 22. In Polonia idcirco idem fere obſervari demonſtrat BECMAN. *in Syntagm. Dignit. p.* 1. *Diſſert.* 4. *cap.* 5. §. 14. *ubi de utraque materia fuſe agit, quemadmodum primam etiam, at paulo aliter, tangit Præclariſſ.* Dn. VITRIARIUS, *JCtorum Neſtor & nuper adhuc Præceptor meus ætatem venerandus, in Inſtit. Jur. Publ. Lib.* 1. *Tit.* 6. §. 13.

CAPUT

CAPUT SEXTUM

SISTIS CASUS QUOSDAM AD MATERIÆ RHOMBUM ADHUC FACERE VISOS.

§. I.

Supra *Cap. IV.* §. 4. diximus Peregrinantes libere de rebus ſuis teſtari vel ſi non teſtentur, ſortiri heredem legitimum; quæritur igitur, num heres ex teſtamento vel legitimus teneatur pati Jus Detractus in bonis illis, in quæ peregrinanti ſuccedit? ℞. Quod ſic; quemadmodum enim Cives aliorſum diſcedentes huic oneri ſubjacent ob domicilii mutationem, pariter quoque Forenſes peregrinanti ſuccedentes eodem modo tenentur, ſive acquiſituri ſint bona in alieno Territorio, ſive ea vendituri pecuniamque extra Territorium ſecum ablaturi ſint. BERLICH. *Concluſ.* 52. *num.* 18. *p.* 3. Quippe 1.) Forenſes haud ſunt melioris Conditionis atque Indigenæ; 2.) Principis intereſt, ne Exteri nervum rerum gerendarum ſine ullo onere in ejus Territorio acquirant vel plane ſecum inde evehant. Eſt autem Jus Detractionis Jus quoddam, quo certa portio de bonis, quæ forenſibus obvenerunt, a Principe retinetur; variatque illa pro diverſitate Regionum & Provinciarum. Et licet videatur hic Detractus communi

quapiam Germaniæ Conſuetudine itroductus, potius tamen aſſerendum eſt, illum Juri Civili non tantummodo eſſe cognitum, *Vide l. fin. in pr. C. de Edict. D. Hadr. toll. l. un. C. Non. lic. habit. metrocom. & t. t. C. quando & quibus part. pars.* ſed & Conſtitutionibus Imperii confirmatum, *conf. R. I. de Ao.* 1555. §. wo aber/ *& R. I. de A.* 1594. §. Und ſo viel. Hinc ſi forſitan apud nos non ſit in uſu, nulli dubitamus, quin per Statutum ſive de novo tacite introduci poſſit; quia quamdiu Jus noſtrum nobis nondum ablatum aut penitus præſcriptum eſt, eo pro lubitu uti poſſumus, & ut noſtra Civitas habet Superioritatem Territorialem æque ac aliæ, ubi idem viget, quid impedimento eſt, quod Jure Detractus ex Superioritate ejusmodi fluente minus fruamur? BRANDES. *de Jure Detract.*

§. II.

Peregrinantes non in uno loco morantur, ſed pro diſcrimine ſcopi ſui nunc huc nunc illuc flectuntur, adeo ut non modo in ſolo pacato, verum etiam non raro in hoſtili deprehendantur; atque hinc operæ pretium eſt quærere; an tales in loco ejusmodi conſtituti pro hoſtibus ſint una habendi nec ne? R. De Peregrinantibus, qui commiſſo cognitoque bello intra fines hoſticos veniunt, dubium non reſtat; quia videntur Hoſtibus ſe immiſcuiſſe & cauſam eorum approbaſſe, vel creduntur iisdem prorſus contra nos ſuccurrere atque opem ferre; quorſum inclinat Formula apud LIVIUM *Lib.* 37. *& paſſim alibi*

fre-

frequens: Hoſtis ſit ille quique intra præſidia ejus ſunt. Econverſo Peregrinantes, qui ante bellum eo iverunt, non ſunt pro Hoſtibus habendi, dummodo temporis ſpatium haud ſit effluxum, intra quod a Turba hoſtili recedere potuiſſent. GROT. *L.* 3. *c.* 4. §. 6. *ſeq.* Nam potuit quidem aliquis apud Hoſtem verſari honeſtæ ac innocentis rei v. g. Commerciorum aut Studiorum gratia, qui ideo non debet puniri vel privari libertate redeundi; at alterius momenti res eſt, ſi quis eam neglexerit, quo caſu eodem in nos animo eſſe creditur, ac ipſe Hoſtis eſt, licet poſtmodum coactus apud eum degat; & ſicut in Hoſtem omnia licent, in Peregrinantes idem Juris erit, maxime cum, ut BALDUS *ad l.* 5. *ff. de l. & l. notat*, multo plus ſit licentiæ in Bello, quam in Pignorandi Jure.

§. III.

Supra itidem *cap. V.* §. 5. indicavimus, juſte a Peregrinantibus Vectigalia & Pedagia ſolvi; ſe ſiſtit ergo quæſtio, an & Capitatio ab illis parimodo exigi queat? R. Negativa verior eſt. Nam Capitatio eſt collectæ & tributi genus, quod pro Capite pendi ſolet, *l.* 3. *ff. de Cenſib.* Collecta vero iis, qui ſubjecti non ſunt ſive forenſes, proprie indici nequit, *v.* Käyſerliche *Conſtitution* zu Speyer *de A.* 1529. *in pr.* Idcirco GROT. *L.* 2. *c.* 2. §. 14. *belle ait:* Capitatio civibus impoſita ad ſuſtentanda Reipubl. onera ab Exteris tranſeuntibus peti non poteſt. Accedit, quod Capitationes valde exoſæ ſint & a bonis Principibus, veluti Servio Rege & Conſtantino Imperatore,

 re,

re, ſublatæ, qui eas in Subditos & Cives, multo minus in Peregrinantes, exerceri noluerunt, *teſte* BODIN. *de Repl.* 6. *n.* 663.

§. IV.

Peregrinantur plures hominum potiſſimum ſoli, interdum tamen Uxorem ſuam peregre ſecum abducunt; *vide cap.* 3. §. 2. ſi igitur Parentibus peregrinantibus proles in Itinere naſcatur, quæſtionis eſt, ubi illa cenſeatur proprie nata? & R. Jura fingunt partum natum eſſe in ea Civitate, in qua parentes domicilium fixerunt. *arg. l.* 26. *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* ſiquidem actus naſcendi ſeu quando forte fortuna mater a patria aut domicilio abeſt, non efficit Indigenam, ſed Jus ipſum naſcendi, quippe quod inhæret loco, ubi jure debuiſſet naſci. *arg. l.* 3. *C. ad Municip.* CARPZ. *p.* I. *dec.* I. Forum enim Naturale ſive originis dicitur ſolum, ubi pater alicujus legitimus Civium numero adſcriptus eſt. *l.* I. §. I. *ſeq. l.* 6. *pr. &* §§. *ſeqq. ff. eod. & l.* 7. *C. de Incol.* eſtque de Jure Civili immutabile. *d. l.* 6. *l. pen. & fin. C. ad Municip.* Hinc qui in Germania natus eſt parentibus Belgis peregrinantibus, omnino in Belgio admitti debet ad capeſſendos honores vel ambienda officia publica, quia adhuc Jure Indigenatus intacto fruitur. Uſum hujus rei deciſio ingentem non modo in Jure privato, ſed etiam in Jure Publico præbet, quando v. g. differitur, neminem niſi Germanum ad dignitates illuſtres in Imperio aut plane Imperatoriam admitti; ceu hoc argumentum late ideo

pro-

Digitized by Google

proſequuntur ARUM. *Vol.* 1. *diſc.* 6. KERM. HERMES *c.* 8. *qu.* 11. *ſeq.* & SCHÜTZ. *Diſſert.* 2. §. 9. *Lit. C.* Unde nobile exemplum, quod Imperator Germanus eſſe debeat, in hiſtoria Caroli V. Imperatoris deprehendimus, qui Gandavi in Flandriæ civitate natus; ita enim Strauchius in Continuatione SLEIDANI de hiſce natalibus: Natus eſt Carolus A. Chriſti 1500. die 24. Februar. in Flandriæ civitate primaria, quæ vulgo Gent, Latinis Gandavum, dicitur; eo enim mater gravida venit, ne Natalis in Germania locus, quem Aurea Caroli IV. Bulla poſtulat, ad faſces Imperatoris occupandos filio deeſſet aliquando. *Laudatus* ÆGID. STRAUCH. *in Continuat.* SLEIDAN. *de quatuor ſumm. Imp. p. m.* 384. JUNG. ABRAHAM. GOLNITII: *Itinerarium Belgico-Gallicum ab initio.*

EPILOGUS.

Poſſemus adhuc plures adſtruere hic loci non inelegantes Caſus ac Quæſtiones; verumenimvero creſcente Opere tempus hinc abeundi decreſcat, penuria ejus jam præſens mihi invito excutit e manu calamum. Quapropter finem lineis hiſce Inauguralibus impono, perſuaſus, Delibata hæc Scopo & Fini meo qualiterqualiter fore reſponſura, dummodo, id quod obnixe rogo contendoque, Sincerus nec non Benevolus Lector ea favore ſuo & humanitate benigne comitari, & ut breviter dicam, æqui bonique conſulere velit. Interim autem Deo Triuni mente manuque pia maximas refero gratias non ſolum

pro

Digitized by Google

pro Divino & immenſo auxilio, quod mihi ab incunabulis domi ſemper præſtitit, ſed etiam pro ſingulari Moderamine, quo foris ac in Peregrinatione mea largiter omni tempore fructus ſum. Dirigat amabile hoc Numen porro Studia mea atque Iter meum, quo aliquando incolumis redux Eidem, Patriæ, Patronis, Parentibus & Amicis plenius inſervire mihique prodeſſe valeam; Faxit Illud tandem, ut omnes Mortales, exemplo Platonis in Axiocho, probe meminerint; omnem Vitam noſtram nihil eſſe niſi Peregrinationem, & quia Civitas perpetuo manſura in Cælis duntaxat eſt, ut terreſtria Aquilarum inſtar ſpernere & ad Solem Solumque æternum proficiſci feliciter diſcant!

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

ÖNB

+Z15

Digitized by Google

Digitized by Google